

quidem a Choro, Psalmus vero dicitur ab Acolythis. Repetita post *Gloria Patri* etc. a Choro tota Antiphona, secundus Acolythus statim subiungit secundam, nempe: *Adorate Dominum* etc., et dicitur Psalmus *Cantate Domino*. In Responsorio septimo et octavo tertii Nocturni, ad verba: *procidentes adoraverunt*, caput inclinatur.

1267. In reliquis huius Octavae Officiis, ad Matutinum, post *Pater, Ave* et *Credo*, dicitur: *Domine labia mea* etc., *Deus in adiutorium* etc., cum Invitatorio *Christus apparuit nobis* etc. et Hymno: *Crudelis Herodes* etc., tuncque primus Psalmus tertii Nocturni est: *Fundamenta eius* etc.

1268. Infra hanc Octavam dicitur eadem Missa, quae in festo, et post Orationem diei dicuntur Orationes: *Deus, qui salutis aeternae* etc. et *Ecclesiae*.... vel pro Papa, nisi occurrat festum simplex; tunc enim tertia Oratio est: *Deus, qui salutis* etc.

1269. In hac Octava prohibentur Missae votivae privatae; non vero solemnes pro re gravi vel publica Ecclesiae causa, et Defunctorum praesente corpore¹. Infra eandem Octavam, non vero in die Octavae, fit tantum de festo primae classis, nempe Titularis et Patroni principalis ac Dedicationis Ecclesiae propriae². Praefatio erit de Octava, nisi festum habeat propriam; *Communicantes* semper erit de Epiphania.

1270. Ad quaesitum: « An in aquae benedictione, quae in Vigilia, vel in festo Epiphaniae in aliquibus locis cum aliqua solemnitate fieri consuevit, permittendus sit

¹ S. Rit. C. 28 Aug. 1827.

² S. Rit. C. 20 Novemb. 1660.

ritus alius, quam qui praescribitur a Rituali Romano ad faciendam Aquam benedictam? »; S. Rituum Congregatio Decreto 17 Maii 1890 respondit: *Negative*. Quod responsum SS. D. N. Leo Papa XIII ratum habuit et confirmavit, die 11 Iunii anno eodem¹.

1271. In Officio et Missa de Tempore, ab Octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam, adhibetur color viridis, exceptis Dominicis infra Octavas occurrentibus, quibus color debet esse Octavae conveniens²; et quando Officium non est duplex, secunda Oratio in Missa usque ad festum Purificationis erit, *Deus, qui salutis*, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa: post Purificationem secunda *A cunctis*, tertia ad libitum. Si autem facienda sit aliqua Commemoratio, erit tertia quae alias esset secunda.

CAPUT II.

DE FESTO PURIFICATIONIS B. M. V. ET DE BENEDICTIONE CANDELARUM.

1272. Praeparanda sunt pro benedictione Candelarum, processione et Missa conventuali, in credentia: Calix pro Missa cum omnibus ornamentis; Planeta, Stola et Manipulus coloris albi, vel violacei, si in Dominica privilegiata festum celebretur; thuribulum et navicula cum thure; vas aquae benedictae cum aspersorio; pelvis, urceus et mantile, pro lotionem manuum post distributionem Candelarum. Manutergium; pelvi-

¹ Analecta, Vol. VI, pag. 227.

² S. Rit. C. 12 April. 1823, in una Panormit.

cula cum ampullis vini et aquae; et Rituale pro recitandis in processione.

1273. In Altari praeparanda sunt: pallium violaceum faciliter amovibile super aliud albi coloris, si Missa est de festo B. Mariae V., et Missale in cornu Epistolae super pulvino violaceo vel legili parvo.

1274. Prope cornu Epistolae, in plano ponitur: mensa cooperta linteo mundo, et super illud Candelae benedicendae, velo violaceo vel tela alba obtectae; et Crux processionalis.

1275. In Sacristia parantur: Amictus, Alba, Cingulum, Stola et Pluviale coloris violacei pro Celebrante; tria superpellicea pro Clericis, et aliud pro Caeremoniario seu Assistente, quando haberi possit.

1276. Hora competente, Sacerdos celebraturus Missam subsequentem et non alius¹, facta praeparatione ad Missam ac lotis manibus in Sacristia, duobus Acolythis ministrantibus, accipit Amictum, Albam, Cingulum, Stolam et Pluviale coloris violacei. Interim primus Acolythus vel Sacrista candelas in Altari accendit.

1277. Celebrans, facta cum Clericis debita reverentia Cruci vel sacrae aliae imagini in Sacristia, praecedente Thuriferario manibus iunctis, vel cum thuribulo et navicula, medius inter Acolythus elevantes fimbrias Pluvialis, tecto capite, procedat ad Altare. Si adsit Caeremoniarius, hic incedat solus post Thuriferarium. Cum ad gradus Altaris pervenerint, Celebrans detecto capite et facta in plano ab omnibus respective reverentia vel genuflexione, si adsit Sacramentum, et peracta, si

¹ S. Rit. C. 15 Septemb. 1640, in una Civit. Castell.

fuerit Dominica, more solito aspersione, statim Altare ascendit, illoque osculato in medio, accedit ad Missale in cornu Epistolae, prope quod sistit Caeremoniarius. Ibidem facie ad Altare versa manibus semper iunctis etiam ad *Oremus*, in tono feriali dicit: *Dominus vobiscum*, et postea subiungit *Oremus*, et Orationem *Domine sancte* etc. cum quatuor aliis Orationibus.

1278. Dum Celebrans dextera benedicit Candelas, sinistram ponit super Altare: quod etiam in benedictione Cinerum, Palmarum, etc. servandum est.

1279. Dum dicitur quinta Oratio, Clericus, qui erat a sinistris Celebrantis, facta genuflexione Altari, recedit et accepto e credentia vase aquae benedictae, una cum Thuriferario accedit ad Celebrantem.

1280. Celebrans, completis Orationibus, ministrante cum osculis consuetis naviculam Caeremoniario vel Acolytho, imponit cum benedictione incensum in thuribulo; deinde, accepto aspersorio ab eodem Caeremoniario vel Acolytho, ter aspergit Candelas, in medio, a dextris earum et a sinistris, dicens submissa voce Antiphonam: *Asperges me* etc. Successive similiter triplici ductu Candelas adolet incenso, nihil dicens. Acolythi postea vas aquae benedictae et thuribulum suis in locis reponunt.

1281. Sub quinta Oratione, dignior de Choro sine mantello et Stola¹ ad Altare accedit, genuflectit, surgit, a primo Acolytho unam ex benedictis Candelis accipit, et Celebranti cum osculo Candelae tantum porrigit, quam Celebrans accipit, osculatur et primo Acolytho tradit

¹ S. Rit. C. 14 Febr. 1705, in una Ord. nostri Capucc. in Galliis.

servandam; hinc ipse digniori Candelam porrigit, qui, si sit Praelatus, eam accipit stans, ipsam osculando, sed non manus Celebrantis.

1282. Dum Celebrans accipit Candelam, Cantores in Choro inchoabunt Antiphonam: *Lumen ad revelationem gentium*, et Canticum: *Nunc dimittis servum tuum* etc., Antiphonam repetendo ad singulos versus ut in Missali.

1283. Celebrans interim versus ad populum Candelas distribuit Sacerdotibus, deinde Clericis et Laicis, super ora suppedanei, qui omnes bini per ordinem accedunt et genuflexi Candelam et manum Celebrantis osculantur. Et ubi mos est, distribuit etiam populo ad cancellos.

1284. Completa distributione, Celebrans lavat manus consueto in loco, vel in plano Epistolae, si ad cancellos descendit, fundente aquam primo Clerico, et aliis duobus pelvim et manutergium ministrantibus.

1285. Celebrans lotis manibus, si fuerit in plano, ascendit ad Altare in cornu Epistolae et ad Missale consistit, si vero lavit manus in suppedaneo, statim se convertit ad Missale. Cantores interim intonant Antiphonam *Exsurge Domine*, qua repetita, Celebrans stans ibidem, subdit *Oremus*, et, si sit post Septuagesimam, et non in die Dominica, subiungit ipsemet genuflectens cum omnibus: *Flectamus genua*, et Chorus surgens respondet: *Levate*. Postmodum Celebrans dicit Orationem: *Exaudi, quaesumus Domine*, semper tenens manus iunctas, ut supra.

1286. Completa Oratione, Celebrans accedit ad medium Altaris, quo tempore accenduntur Candelae pro processione, nisi ab initio accensae fuerint, et incensum in thuribulum ingerit, uti supra; dein accipit a Caere-

moniario vel ab Acolytho Candelam accensam et Rituale pro Antiphonis in processione cantandis. Alii Clerici similiter accipiunt Candelas accensas.

1287. Celebrans vertit se ad populum et dicit alta voce: *Procedamus in pace*, et responso a Choro: *In nomine Christi, Amen.* vel ipse Celebrans vel Cantores intonant Antiphonam *Adorna* etc., alternatim per versiculos proseguendo.

1288. Interim secundus Acolythus, qui accepta prius Cruce processionali stabit in medio contra Altare inter Ceroferarios, si habeantur, vertit se ad populum, nulla facta Altari genuflexione aut reverentia, quam alii omnes respective faciunt, praecedente Thuriferario, procedit iuxta consuetudinem vel extra Ecclesiam, per medium transiens, vel intus eandem et dirigit processionem a sua parte dextera, et circuit et redit ante Altare.

1289. Sequuntur caeteri bini per ordinem Candelas accensas dextra vel sinistra tenentes prout dextrorsum vel sinistrorsum incedunt, ultimo subsequitur Celebrans, cooperto capite, medius inter Caeremoniarium et primum Acolythum fimbrias Pluvialis elevatas tenentes. Toto processionis tempore campana pleno tractu festivo modo pulsatur. Si Cantores non adessent, Celebrans cum Clericis alta voce recitat Antiphonam:

Añã. *Adorna thalamum tuum Sion: et suscipe Regem Christum.*

Amplectere Mariam: quae est coelestis porta.

Ipsa enim portat Regem gloriae: novi luminis.

Subsistit Virgo, adducens manibus Filium: ante luciferum genitum.

Quem accipiens Simeon in ulnas suas, praedicavit populis: Dominum eum esse vitae et mortis, et Salvatorem mundi.

· ALIA AÑA. *Luc. 2. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto: non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.*

Et cum inducerent Puerum in templum: accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit:

Nunc dimittis servum, Domine: secundum verbum tuum in pace.

Ÿ. *Cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: ipse accepit eum in ulnas suas.*

1290. Ingrediendo Ecclesiam, si extra, vel in ipso cancellorum Presbyterii ingressu, si processio intus Ecclesiam peracta fuit, cantatur:

Ÿ. *Obtulerunt Domino par turturum: aut duos pullos columbarum.*

Sicut scriptum est: in lege Domini.

Ÿ. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae: secundum legem Moysi.*

Tulerunt Iesum in Ierusalem: ut sisterent eum Domino.

Sicut scriptum est: in lege Domini.

Ÿ. *Gloria Patri, et Filio: et Spiritui sancto.*

Sicut scriptum est: in lege Domini.

1291. Finita processione Crucifer, nulla facta genuflexione, deponit Crucem in loco suo; Thuriferarius et Ceroferarius facta genuflexione accedunt ad credentiam. Celebrans cum adsistentibus manet ante Altare usque dum absolvatur Responsorium. Fratres facta genuflexione recedunt ad Chorum.

1292. Absoluto Responsorio, primus Acolythus resumat Candelam a Celebrante, extinguit et servat in credentia. Celebrans vero, facta reverentia aut genuflexione Altari, accedit ad planum Epistolae, deponit Pluviale et Stolum violaceam, et accipit paramenta missalia albi coloris, si Missa erit de B. Maria; alias coloris violacei, si Missa erit de Dominica privilegiata, id est Septuagesimae, Sexagesimae vel Quinquagesimae.

1293. Si Missa est de festo, Sacrista aut quis alius tempore processionis amovet pallium violaceum ab Altari, remanente albo; et Missa celebrabitur cum incensationibus more solito.

1294. Item si Missa est de festo, Fratres tenent Candelas accensas ad Evangelium, et ab Elevatione usque ad Communionem inclusive.

1295. Completa Missa, Celebrans, praecedentibus Clericis, redit in Sacristiam et deponit paramenta. Clerici ex Altari et credentia reportant omnia in Sacristiam, et quaeque suis locis reponunt.

1296. Si festum Purificationis occurrat in Dominica privilegiata vel in festo I classis non translato, transfertur in Feriam secundam immediate sequentem, resp. diem tertiam, tanquam in sedem propriam, translato quocumque alio festo aequalis non tamen altioris ritus in eam diem incidente. Benedictio, distributio ac processio Candelarum vero non transferuntur, sed in ipso die habentur¹.

1297. Si dies tertia Februarii sit impedita occurrente festo I classis, Officium Purificationis transferendum est

¹ Ita Rubr. Miss. et Brev.: et S. Rit. C. 20 Iulii 1748, ac 9 Aug. 1681.

in diem quartam Februarii, ne continuatio mysterii Dominicae Incarnationis diu protrahatur ¹.

1298. Cum transferatur festum, Candelae accensae non tenentur, ut supra num. 1294 ad Missam, neque die secunda Februarii, neque die, quo festum Purificationis celebratur ².

1299. Quamvis transferatur Officium Purificationis, non tamen transfertur feriatio, sed haec manet annexa diei secundae Februarii; et licet transferatur Purificationis Officium, in fine tamen Completorii diei secundae Februarii dicitur *Ave Regina* ³.

1300. Si B. Maria V. sit Titularis sub titulo Purificationis, tunc festum Purificationis celebrari debet ipsa die, occurrente etiam Dominica privilegiata (Septuagesimae etc.); non vero, si sit sub alio titulo, v. g. Conceptionis, Nativitatis etc. ⁴.

1301. Munus benedicendi Candelas (Palmas, Cineres) spectat (non quidem de iure) ad Superiorem, aut ipso absente vel impedito ad digniorem, non vero ad Hebdomadariam ⁵.

1302. Si benedictio Candelarum (Palmarum, Cinerum) fieri debeat in Ecclesia, ubi expositum est SS. Sacramentum pro adoratione XL Horarum die noctuque perdurante, illa perficienda est in Altari laterali, quod longius distet ab Ara maxima, in qua SS. Sacramentum patet adorationi Fidelium, servatis quidem omnibus

¹ S. Rit. C. 7 Sept. 1850.

² S. Rit. C. 27 Sept. 1860.

³ Iuxta Decr. gen. 11 Ian. 1681.

⁴ Ita Rubr. gen. Brev.: et S. Rit. C. 1 Sept. 1612, ac 9 Aug. 1681.

⁵ Ex variis Decretis S. Rit. C.

caeremoniis in Missali respective praescriptis, sed processio omitti debet ¹.

1303. Si vero expositio SS. Sacramenti intermitatur sub vesperum, in hoc casu Sanctissimum est reponendum, donec Candelarum (Palmarum etc.) benedictio ac processio peracta fuerit.

1304. Si Candelae benedictae etiam populo ad cancellos distribuuntur, mulieres manum Celebrantis vel alterius Sacerdotis cotta et Stola violacea parati et Candelas distribuentis convenienter non osculentur.

1305. Candelae in die Purificationis distribui non debent ad aedes saecularium, sed recipientur a populo in Ecclesia ².

1306. Sabbato ante Dominicam Septuagesimae ad Primam annuntianda est in Martyrologio Dominica uti initio eiusdem Martirologii adnotatur; et quidem primo loco licet non fieret Officium de Dominica ex occurrentia festi primae classis.

CAPUT III.

DE DOMINICIS SEPTUAGESIMAE, SEXAGESIMAE

ET QUINQUAGESIMAE.

1307. In fine Vesperarum Sabbati ante Dominicam Septuagesimae, ad *ŷ. Benedicamus Domino*, bis additur *Alleluia*, et responso a Choro *Deo gratias*, repetitur bis *Alleluia*, et amplius non dicitur usque ad Missam Sab-

¹ S. Rit. C. 17 Sept. 1822.

² S. Rit. C. 9 Iunii 1668.

bati sancti: sed eius loco, in principio Horarum post *Gloria Patri* dicitur *Laus tibi Domine* etc., quae verba super Psalterium in tabula inscripta videantur.

1308. Tacetur etiam *Alleluia* in Officio et Missa ubicumque hoc tempore invenitur.

1309. Pro unaquaque harum Dominicarum, Altaria ornamentis violaceis parantur, quod etiam de vestimentis sacerdotalibus quoad colorem servatur; nec ornentur floribus, etc.

1310. In Officio harum Dominicarum, exceptis festis Sanctorum primae classis, usque ad Dominicam Palmarum inclusive, loco Hymni *Te Deum* etc. dicitur nonum Responsorium: Psalmus primus ad Laudes erit *Miserere*, secundus *Confitemini*, et in fine Laudum dicuntur Suffragia Sanctorum. Ad Primam, loco Psalmi *Confitemini* dicitur *Dominus regnavit* cum Symbolo *Quicumque* etc., et habentur Preces.

1311. De dictis Dominicis semper oportet peragi Officium, ac propterea quodcumque festum occurrens est transferendum, nisi fuerit duplex primae classis; et tunc de Dominica fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa, cum nona Lectione de Homilia ad Matutinum, et Evangelium in fine Missae¹.

1312. In his Dominicis dicitur Missa propria, *Credo*, sine *Gloria*; secunda Oratio ante Purificationem vel ipsa die Purificationis est: *Deus, qui salutis aeternae*, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa. Post Purificationem secunda Oratio est: *A cunctis*, tertia ad libitum.

¹ S. Rit. C. 26 Novemb. 173

1313. Tractus in Missis de Tempore a Dominica Septuagesima usque ad Feriam IV Cinerum non dicitur, nisi in Dominicis; in Feriis, in quibus Missa Dominicae repetitur, dicitur tantum Graduale; et in hoc casu *Credo* non dicitur et Praefatio est communis et non de Trinitate. In fine Missae: *Benedicamus Domino*. Post Graduale dicitur, ommissis *Alleluia* et *Ÿ*. sequenti, Tractus etiam in festis Sanctorum, sive proprius sive ex Communi.

1314. Si Dominica Septuagesimae venerit ante festum Purificationis vel ipsa die Purificationis, Secreta de S. Maria erit *Tua Domine*, ut in eiusdem Missa votiva, et non *Mentibus nostris*, utpote quae coincidit cum Oratione huius Dominicae.

CAPUT IV.

DE FERIA IV ET BENEDICTIONE CINERUM.

1315. Feria IV Cinerum est Feria privilegiata et nulli festo ne primae classis quidem cedit, neque Missas votivas solemnes etiam pro re gravi admittit. Hac tamen Feria Missa exequialis, corpore praesente, et etiam pridie sepulto, cantari permittitur. Vid. n. 992.

1316. Ad Altare ponitur vas ex decenti materia cum cineribus ex Ramis praecedenti anno in Dominica Palmarum benedictis, combustis et subtiliter cribratis et aridis in modum pulveris et non in modum luti¹,

¹ S. Rit. C. 23 Maii 1603, in una Egitanien.